



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Referuntur sententiæ, & præmittuntur aliqua ad resolutionem
quæstionis necessaria

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

44. Dico secundò. Licet Christus habuerit jus regium directum seu temporale, & potestatem in totum universum, ab illius tamen exercitio abstinent, neque ullum penitus temporale regnum admittit: quia non decuit omnino ut potestatem purè civilem exerceret, cum illa, compensatione spiritualis & divinæ, vilis sit; & quemadmodum non decet ut Rex exerceat minora officia, ad quæ tamen exercenda habet potestatem, ita cum Christus propter fines majores venisset, & omnium maximos, ut sanctificator, ut glorificator, ut redemptor, &c. non decebat ut per se exerceret potestatem purè civilem & politicam. Deinde, exercitium regis potestatis non bene conveniebat cum exemplis patientiæ, paupertatis, humilitatis, & obedientiæ usque ad mortem crucis, quæ Christus in hoc mundo debet exhibere: unde aiebat ipse Matth. 20. *Ei, qui hominibus non venit ministrare, sed ministrari*, & dare animam suam redemptionem pro multis. Habuit ergo Christus potestatem solum generalem; & divinæ similem, non præjudicantem particulari potestati Regum temporalium, nec ului hujus potestatis circa suum regnum: nam sicut influxus causæ superioris, non impedit influxum particularis causæ, sed magis juvat: ita nec Christi potestas alicuius & universalioris ordinis, Regum temporalium jurisdictionem destruit, sed magis stabilitatem firmat, & florentiorem, diuturniorem, & potentiorē efficit; non enim Christus cepit mortalia, qui regna daret cælestia. Unde apud Augustinum tract. 115. in Joan. clamat ad omnes Reges terræ: *Nolite timere, non impedit dominatorem vestram.*

45. Ex hoc facili conciliari possunt Scripturæ loca, specie tenus pugnantia, quorum aliqua tribuunt Christo regiam potestatem & dominium omnium rerum, asseruntque ipsum fuisse dominum universorum, Regem regum & Dominum dominantium: alia affirmant, ipsum non regnasse in hoc mundo, neque venisse dominari & ministrare, sed ministrare, Joan. 18. & Lucæ 22. Christus enim habuit regiam potestatem, & dominium rerum omnium in actu primo, licet non regnaret temporaliter, neque usum talis dominii habuerit in actu secundo. Ex quo soluta manent omnia argumenta quæ contra præcedentem conclusionem fieri solent.

46. Dices, Si Christus haberet jus regium directum seu temporale in totum universum, sequeretur Summum Pontificem, qui Christi potestati successit, esse regem temporalium omnium mundi regnorum.

Sed negatur sequela, quia Christus non dedit Summo Pontifici omnem potestatem quam habebat, ne spirituales quidem, cum Summus Pontifex non possit instituere sacramenta, dare gratiam extra sacramenta, remittere peccata absque sacramentali confessione & absolutione, & alia nonnulla Christi singulariter propria.

47. Ex dictis colligitur, Christum non solum fuisse regem, sed etiam legislatorem, cum de ratione dignitatis regis sit potestas condendi leges: unde Matth. 23. Christus legislator simul & rex appellatur. *Dominus legislator noster, Dominus Rex noster, in se habet nos.* Porro sicut regia dignitas Christo convenit cum singulari excellētia, nullatenus concessa ita & potestas legislativa. Primo, quia fuit divina quodammodo, ratione suppositi divini, unde jus ab eo conditum, vocatur divina à simpliciter. Secundo propter excellē-

tiam legum & præceptorum, quæ triplicis generis sunt: quædam moralia de quibus Matth. 5. 6. & 7. Alia sacramentalia de quibus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et cap. 6. *Nisi manducaverit carnem filii hominis, &c.* Alia præcepta fidei, Joan. 14. *Credidit in Deum, & in me credite.* Marci ultimo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Tertiò, quia per talem potestatem Christus potuit abrogare legem veterem. Quarta, quia fuit amplissima in universum mundum: *Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Quarta, quia potuit hanc potestatem Vicario suo impertiri, licet non æqualem communicaverit.

Demum cum hac autoritate legislativa annexa est potestas judiciaria, quam Christus non solum exercet cum singulis hominibus ex hac vita decedentibus, sed etiam cum omnibus in unum extremo judicii die congregatis, juxta illud Joan. 5. *Potestatem dedi et judicium facere, quia filius hominis est.* Ejusdem quippe est leges condere, & de legibus judicare quo pacto à subditis servantur.

DISPUTATIO XXIII.

De adoptione Christi.

Ad quæst. 23. D. Thoma.

Postquam D. Thomas tribus præcedentibus questionibus egit de his quæ conveniunt Christo, per comparisonem ipsius ad Patrem, differit de his quæ Christo conveniunt, per comparisonem Patris ad ipsum, quæ sunt præcipue duo, nimirum adoptio, & prædestination, de quibus hic agendum est: de adoptione quidem in hac disputatione, de prædestinatione verò in sequenti.

ARTICULUS PRIMUS.

An Christus, inquantum homo, sit filius adoptivus Dei?

§. I.

Referuntur sententia, & præmittuntur aliqua ad resolutionem questionis necessaria.

Certum & indubitatum est apud omnes Catholicos, Christum ut Deum, seu ut substantentem in natura divina, filium adoptivum Dei non esse, cum fides Catholica doceat ipsum ut sic esse filium naturalem Patris, ipsi consubstantialē & coæternū, subindeque incapacem filiationis adoptivæ, quæ extraneitatem in persona adoptanda præxigit, hoc est negationē filiationis naturalis, jurisque ad hereditatem ipsi convenientis ex vi suæ generativitatis. Unde solum difficultas est, an Christo quatenus homini competat filiaris adoptiva? Quod in triplici sensu intelligi potest: Primo, ponendo illum purum hominem, non Deum, quæ fuit hæresis Photini. Secundo, ponendo in illo duo supposita, qui fuit error Nestorii. Tertiò, ponendo in illo solum unam personam increatam & divinam, cum duplici natura humana & divina, & asserendo ipsum secundum humanitatem, vel inquantum hominem, esse filium Dei adoptivum. In primo sensu nullus.

R. 1. 2.

